

**Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D.
Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Disputatio VIII. De Lumine Gloriæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](#)

DISPUTATIO VIII.

DE

Lumine Gloriam.

Dicitum est de principiis visionis se tenentibus ex parte objecti videlicet de specie impressa & expressa. Nunc etiam tractandum est de principio pertinente ad ipsam potentiam intellectivam, quae perficitur & confortatur ad praestantissimum actum Divinæ visionis eliciendum, quod quidem principium lumen gloriae nuncupamus: cuius primò necessitatem & existentiam, deinde quidditatem & naturam investigamus.

ARTICULUS I.

An lumen gloriae sit necessarium ad videndum DEVUM?

SUMMARIUM.

1. *Veritas fidei adstruit lumen gloriae.*
2. *Diveritas fementiarum, in quo consistat?*
3. *Requiritur lumen glorie per modum habitus elevans intellectum ad videndum DEUM.*
4. *Fundamentum ex natura visionis requirentis potentiam proportionatam.*
5. *Et ex paritate aliorum habituum.*
6. *Impagnatur ulterius concursus obiectivus.*
7. *Primum officium luminis gloriae, intellectum elevere.*
8. *Alterum, disponere ad intelligibilem unionem cum Divina essentia.*
9. *Instans de hypothesi, & ipso lumine gloriae.*
10. *Hypothesis non egera prævia dispositione, quia dat ipsum esse.*
11. *Nec lumen gloriae, quia est ipsa dispositio.*
12. *Vno intelligibili non nisi comparativè ad phasiam unionem potest dici metaphorica.*

§. I.

Adstruitur necessitas luminis gloriae.

1. *A*liquod lumen gloriae ad Divinæ essentiae visionem Beatis latem de potentia DEI ordinaria esse necessarium, est definitum in Concilio Viennensi contra Beguardos & Beguinias Hæreticos, qui negabant, animam indigere lumine gloriae ipsam elevante ad videndum DEUM, ut habetur in Clementina ad nostrum de heret. Colligitur è S. Script. Apoc. 21. clavis DEI illuminabit eam, h. c. Societatem Beatorum videntium DEUM. & Psal. 35. in lumine tuo videbimus lucem. h. c. interpret Genebrado, per lumen gloriae à te nobis communicatum, videbimus te DEUS, qui lux es inaccessibilis, in quo verò lumen gloriae consistat, vel an per absolutam DEI potentiam suppleri possit? nihil definitum, sed Theologorum disceptationi reliquum est.

2. Fuerunt primò, qui dicentes, lumen gloriae esse ipsum DEUM, seu lumen increatum, quod objectivo suo concursum supplet tunc speciem impressam, tum lumen creatum, tenens le ex parte potentia. Sed hæc expostio in primis videtur esse contra mentem Concilii, tale lumen gloriae adstruentis, quale ab hæreticis negabatur, sed obiectivum DEI concursum hæretici non negabant;

alias negassent omnino DEUM videri: ergo præter objectivum DEI concursum, aliud lumen distinctum intellexit.

Aureoli sententia est, per lumen gloriae intelligiplam visionem. Sed hæc expostio nugatoria reddit, quod definitionem Concilii, quia sensus ipsius ficeret, quod anima indigeret visione ad videndum DEUM, quod neque Beguardi negabant, aut ullus sanæ mentis negaverit.

Tertio ali (pro qua sententia citatur Scotus) intelligunt concursum DEI effectivum, sive actionem productivam visionis. Sed & ista sententia (ut aia in decursu proponenda omittantur) incidit in absurdum prioris opinionis: cùm enim iste concursus DEI simultaneus non distinguatur ab ipsa visione, rursus nugatoria erit propostio, si dicas, lumen gloriae esse necessarium ad visionem.

Quarto aliqui intelligent auxilium transiens, Sed quamvis ad visionem transeuntem (quem probabiliter S. Paulus habuit in raptu) auxilium transiens, sive ut vocat S. Doctor 2. 2. q. 175. a. 3. ad 2. lumen gloriae per modum passionis transeuntes collatum, proportionem habeat; visione tamen permanenter & inammissibiliter collata non nisi permanentis principium visionis proportionata.

Quinta tandem ait esse, qualitatem supernaturalem, & permanentem qualis est gratia sanctificans, habitus fidei &c. quam rursus alii cum Vaquez, Hurtado, Espanza, Rosmer identificant cum specie impressa, ut supra retulimus & rejecimus; alii distinguunt.

CONCLUSIO. *Præter concursum objectivum, Divina essentia in ratione speciei intelligibilis unita, ex parte intellectus requiritur lumen gloriae per modum habitus ipsum intrinsecè elevans & confortans.* Ita Schola S. Thomæ cum pluribus aliis, etiam Scotistis, teste Smising tract. 2. disp. 6. q. 4. & aperte colligitur ex testimonio S. Doct. priori disp. 2. 1. n. 5. adductis, præfeti hiic, q. 12. a. 5. ad 2. cùm dicit: *Lumen gloriae non requiritur ad videndum DEI essentiam, quasi similitudo, in qua DEVIS videatur, sed quasi perfectio quedam intellectus, confortans ipsum ad videndum DEVUM, & ideo potest dici, quod non est medium, in quo DEVIS*

DEVS

videatur, sed sub quo videtur: ubi prater concursum effluentis divinitate in ratione speciei intelligibilis, admittit simul lumen gloriae, quod vocatur medium sub quo, & distinguitur a medio quo, vel in quo, quorum illo speciem intelligibilem, ita similitudinem objectivam S. Doctor intelligit.

Ratio quoque ab eodem S. Doctore hic a. 2. insinuata & ex intima natura visionis petita est, quod prater concursum ex parte objecti, requiritur ad visionem sufficiens concursum ex parte potentie: ut nempe potentia habeat proportionatam virtutem & efficaciam, sive apta ad producendam visionem, sine hoc enim inutilis erit, immo (ut maxime dicitur) impossibilis concursum objecti: unde oculus respicit concursum objectivum sapientiae & iusti, quia deest ipsi intrinseca capacitas & proportio: neque oculi noctua prodest solare lumen, delectu inutinaceam dispositionis: sed intellectus ex parte sui non est taliter proximè completa & intrinsecè proportionata ad actum visionis (alias naturaliter posset videre DEUM) ergo prater concursum objectivum requirit intrinsecam virtutem, quâ elevetur & confortetur ad elicendam visionem. Immo vero eiusmodi virtus concursum objectivo essentialiter præsupponitur, cum potentia non nisi ut apta & proportionata eiusmodi concursum exigat & admittat, veluti supra notavimus.

§. Confirmatur primò: Intellectus ad assensum supernaturalem fidei, voluntas ad actus supernaturales sperandi, amandi, &c. indiget habitibus iusti: ergomodo magis ad nobilissimum actum visionis permanenter & quasi connaturaliter eliciendus intellectus Beati indiget habitu inflato, quem lumen gloria appellamus.

§. Confirmatur secundò: Si sufficeret objectivus concursum DEI absque lumine gloriae, non esset ratio, cur de facto intellectus viatoris non videret DEUM, ut enim fiat visio, plus non requiritur, quam potentia ex sua parte completa, & sufficiens praeterea objecti; sed si nullum requiratur lumen gloriae, intellectus ex parte sui habet virtutem completam, nec deest ipsi præfentia Divina essentia per omnia diffusa; non ergo erit ratio, cur DEUM actu non videat. Neque confugias ad denegationem Divini concursum; nam ruris quereretur, quod DEUS, si non contra, certe præter naturam miraculose, & non sine quadam violencia suum concursum denegaret, sicut enim occursum sufficientem virtute instructus connaturaliter exigit visionem objecti intelligibilis sibi debite præsentis, ut miraculo sit tribendum, si quis expertus oculis nil videat in incertis; ita intellectus sufficientis virtute prædictus connaturaliter exigit visionem objecti intelligibilis sibi debite præsentis, ut subtrahatio eiusmodi visionis planè foret miraculosa, & præter naturalis.

§. II.

Officia luminis gloriae.

Ex modo dictis patet, quænam sint munia, ad quæ lumen gloria ex sua natura destinatur.

Primum est, intellectum evenerere & elevere ad ordinem supernaturalem, ejusque activam virtutem completere, cuius doctrinam & expositionem tradit S. Doctor hic. a. 5. in c. Cum virtus naturalis intellectus creati non sufficiat ad DEI essentiam videndam, oportet, quod ex Divina gratia superaccrecat ei virtus intelligendi. Et hoc augmentum virtutis intellectiva illuminationem intellectus vocamus. & ad 2. tamen requiritur quasi perfectio quadam intellectus confortans ipsum ad videndum DEUM.

Alterum ipsius officium est, disponere intellectum ad intelligibilem cum divina essentia unionem, cuius rationem simul & explicationem rursum accipere S. D. hic. 5. Cum aliquis intellectus videt DEUM per suam essentiam, ipsa essentia DEI sit forma intelligibilis intellectus: unde oportet, quod aliqua dispositio supernaturalis ei superadatur, ut eleveretur in tantam sublimitatem.

Sed inquis: hypothesis immediata terminata 9. turam Divinam, & similiter immediata lumen gloriae recipitur in intellectu absque alia previa dispositione: cur ergo essentia divina in ratione formæ intelligibilis necessariò prærequirit dispositionem? præcertum cum (ut arguit Vescenius) ista intelligibilis unio & ratio formæ non sit proprie dicta, sed potius metaphorica, unde S. D. de Verit. q. 8. a. 3. dicit, ad hoc, quod DEVS per essentiam videatur, oportet, quod essentia Divina uniat intellectui quodammodo ut forma intelligibilis: ubi particula quodammodo, telle Barbara, impropositatem denotat, & fictionem importat.

Respondeo ad primum, hypothesis ideo esset. immediatum terminum naturæ humanae, quia facit illam esse & subsistere, quod utrum primum est in rebus, ita nullam pro se dispositionem prærequirit.

Ad secundum dico quoque, quod lumen gloriae per essentiam sit forma dispositiva: ad dispositionem porro non datum dispositio, utique neque ad relationem relatio, ad actionem actio: atque essentia Divina per modum formæ intelligibilis intellectui unita eundem proximè determinat ad actum vitalium visionis effectiva eliciendum, unde prius virtutem proximam & vitam intellectualem supernaturalis ordinis (qua sine lumine gloria non obtinetur) ex parte intellectus supponit, quâ absente principium visionis ad quaum constitueret non potest.

Ad ultimum dico, quod unio intelligibilis (sicut & ratio formæ) quamvis comparata ad physicam unionem & informationem sit quodammodo & impropterè talis, quemadmodum causalitas finis, comparata ad causalitatem efficientis metaphorica dici confuevit: esse tamen verissimam unionem in genere unionis abstractentis ab omni imperfectione. Essentiam quoque Divinam esse verissimè formam intelligibilem, quippe qua se ipsa perfectissimè intellectum videntis perficit, & actuat.

ARTICULUS II.

*An per absolutam potentiam possit clare videri Divina essentia
sine lumine gloria?*

SUMMARIUM.

1. *Ead doctrina S. Doctoris eruitur implicantia visionis sine lumine glorie.*
2. *Prima implicantia ex parte intellectus.*
3. *Secunda ex parte actus.*
4. *Tertia ex parte essentiae.*
5. *Non potest divina essentia supplere defectum luminis.*
6. *Sententia de concursu extrinseco.*
7. *Impugnatur concursus extrinsecus.*
8. *Responsum de potentia obedientialis proxime activa.*
9. *Ostenditur adversari doctrina S. Doctoris.*
10. *Varia absurdia eidem impinguntur.*
11. *Objecio de infinito DEI dominio.*
12. *Nihil derogatur Divino dominio, cum non potest creaturis ad effectus implicatorios.*
13. *Intellectus nibilominus active influit.*
14. *Authoritas S. Doctoris non saret adversariis.*
15. *Lumen gloria est in genere habitus.*
16. *Praestans cedit soli gratia sanctificanti.*
17. *Non est formaliter ipsa unio Divine essentiae cum intellectu Beati.*
18. *Lumen gloria intellectui necessarium etiam ad recipiendam visionem.*

§. I.
Negativa statuitur.

1. *Affirmavit tuerunt Suarez l. 2. de Div. Attrib. c. 16, Molina, Vasquez, Amicus. disp. 9. sect. 12. Ysamb. disp. 3. a. 6.*
2. *Negativam tenent discipuli S. Thomæ, Salmantic. Philip. à S. Trinitate. Jo. à S. Th. Gonet, Labat, Godyous, &c.*

CONCLUSIO. *Nes per absolutam DEI potentiam fieri potest, ut intellectus creatus absque lumine gloria vel transunter, vel permanenter communicato DEVUM videat. ita Thomistæ deducunt ex S. Doct. cit. 2. 2. q. 175. a. 3. ad 2. ubi ex eo, quod intellectus creatus non nisi per lumen gloria DEVUM videre possit, infert, etiam S. Paulus in raptu Divinam essentiam videnti, communicatum fuisse lumen gloria per modum passionis transeuntes: quae illatio nullius est roboris, si de ordinaria tantum potentia S. Thomas loqueretur. Diceretur enim S. Paulus extraordinario tantum privilegio divinam essentiam vidisse, ideoque ordinario luminis auxilio non equis.*

2. *Probatur quoque triplici fundamento Thomistico, & ostensione implicantia. Primo ex parte intellectus. Implicat causam prius esse constitutam in actu secundo, quam primo operandi, & prius operari, quam possit operari; sed intellectus viribus naturæ relietus est impotens ad vindicandam Divinam essentiam, neque in actu primo visionis constitutus, ergo.*

Confirmatur. Impossibile est, ut intellectus elicit super naturalem assensum fidem, sine habitu fidei, vel auxilio intrinsecè recepto: ergo idem dicendum de actu visionis.

Secundum ex parte actus. *Visio est actus vitalis vitalitatem supernaturalem: ergo perit ab intrinseco procedere à principio proximo vitali supernaturali. Consequens probatur, actus vitalis essentiaiter perit procedere à principio proximo coniuncto & vitali: ergo actus vitalis supernaturalis essentiaiter perit procedere à principio proximo vita supernaturalis. Subsumo: sed intellectus absque lumine gloria non est principium proximum virale supernaturale, cum sic non conveniat ipsi alia vitalitas intellectiva, quam que sit ordinis naturalis, (alias quoque connaturaliter posset videtur DEUM) ergo impossibile est, ut ab intellectu desistendo lumine gloria procedat actus visionis, qui est essentiaiter actus vita intellectiva supernaturalis.*

Tertiò ex parte essentiae Divina: implicat, ut 4 species intentionaliter sit unita potentia, & concurrent ad actum vitalem, quando potentia non habet proportionatum gradum vita, & dispositionem debitam ad usum talis speciei. Unde exemplo supra insinuato, licet in oculo penerentur species soni, non tamen essent ipsi intentionaliter unita, nec constituerent cum ipso principium auditivum. Elicet in intellectu ponantur species objectorum creditibilium, non tamen cum ipso constituent principium sufficiens ad elicendum assensum fidei, nisi accedat habitus fidei, atqui sine lumine gloria intellectus non est elevatus ad gradum vita, & intellectualis supernaturalis. ergo.

Non potest proinde ullâ ratione fieri, ut essentia Divina in beatifica visione supplet defectum luminis. Quo enim modo suppleret? An quod ipsa id officii præstaret ex parte potentiae, quod præstaret lumen gloria, quemadmodum in nostra tentientia præstare officium speciei impensis? sed hoc implicat; quia lumen gloria non alter ad visionem concurrit, quam ut intrinseca virtus potentiae, eandem per intrinsecam sui receptionem confortans & elevans ad sufficientem proportionem cum actu visionis, qui modus concurrendi DEO repugnat, quippe involvens rationem formæ intrinsecæ receptibilis. Alius longè est cursus speciei, cuius munus non est, per intrinsecam sui receptionem (id enim speciebus creatis non nisi ex accidenti convenit) sed objectivam terminacionem potentiam jam ex se intrinsecam proportionatam ultimam complere, & representationem perficere. Quid totum, ut ab omni imperfectione & potentialitate remotum, Divine essentiae optimo jure convenient.

§. II.

Impugnatur concursus extrinsecus, & potentia obedientialis proxime activa.

1. *Lius dicendi modus communis inter RR. qui potentiam obedientialem proxime activam, cuius*

utvis creature congenitam, admittunt, docet, per solum auxilium extrinsecum, sive concutum DEI in genere causa efficientis luminis gloriae concarum suppleri posse: siquidem Deus potest per se solum efficientiam cuiusvis causa creatae suppleri; ut praeferat Scotum etiam expressis verbis tradit S. Thomas 1. parte, q. 105. a. 2; in c. dicens errorum est dicere, *D E M non posse facere per se ipsum, omnes determinatos effectus, qui sunt per quamcumque causam creatam.* Cum igitur visio efficienter procedat ex lumine gloriae, poterit ille influxus a concurru DEI tanquam superioris causa suppleri.

Sed contra hanc opinionem est primò. Ille concursus vel ponit aliquid intrinsecum ex parte intellectus, vel nihil ponit. Si nihil: ergo manebit intrinsecus impotens, sicut ante concursum, neque proinde exhibet in actu visionis, quem in nulla sua virtute aut actu primo continet. Si aliquid adit ex parte intellectus, illud ipsum jam est aliquid intrinsecus perficiens, & confortans intellectum, quod lumen gloriae intelligitur.

Contra et secundò. Concurrit actuus tenet, se ex parte actu secundi, non primi; & ut ante advertimus, ab ipso actu potentia, si sit simultaneus, non distinguuntur: atqui actu secundus essentialiter presupponit primum, & vires intrinsecas ipsius potentiae, quas absque aliquo in le intrinseci recepto nullo modo habet.

Contra et tertio: Vitalitas supernaturalis actu secundi praecequit vitalitatem supernaturalem actu primi: sed intellectus naturæ viribus relictus cum solo extrinseco concurru non habet vitalitatem supernaturalem actu primi: ergo visio habens vitalitatem supernaturalem actu secundi, non potest procedere ad intellectu habente solum extrinsecum concursum DEI.

Contra et quartò. Impossibile est, causam intrinsecum mutari, aut elevari sine aliquo in se recepto; sed concursus extrinsecus nihil intrinsecus ponit in causa: ergo per ipsum causa intrinsecus non mutatur aut elevatur: atqui officium lumen gloriae est, potentiam intrinsecum elevere, ut etiam adversarii concedant; ergo extrinsecus DEI concurrit non supplet officium lumen gloriae.

Respondere quidem ipsummet intellectui ratione sua potentia obediens proxime activa inesse virtutem partialem & incompletam, quia seipso effectus supernaturales possit attingere, si a contraria alterius comprincipii superioris & supernaturalis compleatū, idque de potentia ordinaria fieri per habitum creati luminis gloriae intrinsecè inherenter; de potentia vero extraordinaria per lumen inveniatum Divina essentia extrinsecus suffit.

Sed hoc responso, similius potentia obediens proxime activa partialiter concurrens, cui velut uno fundamento innitur, imprimis aperit contradicit S. Doctori: nam iste 3. contra gentes c. 70. negat in effectibus vites naturæ extenuibus eam laudem naturalem per modum causæ partialis concurrere. Verba ipsius sunt. Non se idem effectus causa naturali & Divina virtuti tribuitur, quasi perim a DEO, & partim ab agente naturali fiat.

Secundò in 1. 2. q. 109. a. 1. in causa naturali ultra suam proportionem operante requirit formam superadditam. *Vnaqueque, inquit, forma induta rebus creatis a DEO, habet efficaciam respectu alicujus actus determinati, in quem potest secundum suam proprietatem, ultra autem non potest, nisi per aliquam formam superadditam.*

Rursum 3. parte q. 62. a. 4. concedit sacramentis nova legis virtutem intrinsecam ipsis superadditam, quæ eleventur ad gratia productionem.

Tandem in qq. disput. q. un: de virt. in com. inquit, respectu eorum, quæ facultatem naturæ excedunt, habet homo a natura aptitudinem ad recipiendum. Respectu aliorum vero admittit non solum principiæ receptiva, sed etiam activa. Ecce quomodo S. Doctor agnoscat potentiam obediensalem passivam, neget vero proximè activam.

Eadem quoque potentia obediensialis activatio variis absurdis videtur obnoxia. Nam primò est, & non esset intrinsecè naturalis, naturalis esset, quia indistincta ab ipsa rei natura & entitate: Supernaturalis esset, quia proxima ordinata ad actus supernaturales, à quibus habitus & potentia specificantur.

Secundò. Est, & non esset virtus incompleta. Est incompleta ex hypothesi adversariorum: non esset incompleta sed completa, quia continetur in actu primo totum effectum, siquidem ad illum producendum, ex parte actu primi nullum intrinsecum complementum requirit.

Ideoque est tertio instrumentaria secundum adversarios, & non est, quia nullæ egret intrinsecæ elevatione, sed tantum concursu partiali, qui non impedit rationem cause principalis, veluti in duobus equis simul cunctem eorum trahentibus, quorum neuter est alterius instrumentum, quantumvis uterque alterius consortio egeat ad productionem totius effectus.

Quarto: Darentur in terum natura femina & initia gratia, cum isthac obediensialis potentia esset ipsa rei natura habens vim inchoativam immediatè producendi effectus gratia.

Quinto. Super cuiuslibet habitus infusi virtutum, donorumque supernaturalem, siquidem omnes actu supernaturales à potentia obediensiali solo extrinseco concurrit DEI adjuta produci possint.

Neque dicas: ideo dari istos habitus, ut per ipsostanquam per intrinseca principia actu magis connaturaliter elicantur.

Quid enim magis connaturale, congenitum, & intrinsecum cuilibet, quam propria sua natura, in qua tua illa potentia obediensialis activa consistit? Adde, quod isti habitus non minus partialiter concurrent ad elicendos actus, quam concursus DEI extrinsecus, adeoque potentiam obediensiam non magis perficiunt, quam perficeret extrinseca DEI assistentia. Omitto alia ad gratia sufficientis, prævenientis, cooperantis necessitatem pertinentia, in qua potentia hujus obediensialis nimis ampla potestas dispensare videtur.

Objicies primò. Ad infinitum DEI dominum pertinet, ut possit immediatè creaturis uti ad producendos supernaturales effectus: ergo datur in creaturis potentia obediensialis immediatè activa

36 Tractat. I. Disputatio VIII. Artic. II. §. II. & III.

activa sine additione alterius virtutis, antecedens probatur: perfectius est dominum immediate uti creatoris, tanquam instrumentis Divinæ omnipotentie, quam uti mediare: sed non est dengandus perfectissimo DEI dominio perfectior modus utendi creatoris: ergo,

Confirmatur. Ad abolatum & perfectissimum DEI dominium pertinet, ut immediate conservet omnium rerum esse & operationes: ergo ad idem dominium pertinet, ut immediate utatur creatoris, seu instrumentis sua omnipotentie.

12. Resp. primo, hoc argumentum nimium probare, nempe quod DEUS de facto hoc modo utatur creatoris sine virtutibus superadditis, sicuti de facto immediate conservat esse rerum: neque enim DEUS potest abdicare perfectionem sui infiniti dominii.

Resp. secundò, negando utrumque antecedens: sicut enim non est de perfectione Divini dominii, ut producat per creaturas effectum sine actione, quia implicat, ita etiam, ut iis utatur ad producendos effectus excedentes & supernaturales sine virtute operandi, quia etiam implicat operari sine posse & acte primo operandi.

Ad confirmationem disparitas est, quod actio rerum conservativa sit continua creatio, qua à solo DEO est, & esse potest: usus verò creaturarum ad producendos effectus supernaturales DEO convenient, in quantum ipsas ultra suam nativam virtutem elevat, quod sine aliqua virtute intrinsecè superaddita nec esse nec concepi potest.

13. Objetus secundò: si intellectus in se non habet virtutem partialem incompletam & inchoativam ad elicendam visionem DEI, non influeret activè in visionem DEI, sed haberet se merè passivè per medium subjecti deferentis, sicut aqua calfacta desert calorem: sed consequens est absurdum: ergo.

Resp. negando sequelam, quia, ut statim pluribus dicetur, intellectus est virtus radicalis ad visionem, et quod intra adiquatum ipsius objectum continetur Divina essentia, ac proinde sit natus perfici per lumen gloriae ad essentiam Divinam proprio actu attingendam.

§. III.

Corollaria.

14. Colliges primò: autoritatem S. Doctoris C. n. 6. allegatam non favere potentia obedientiali activa, loquitur enim de illis effectibus, quos DEUS immediate se solo absque ullo concussum creature potest producere, veluti est motus cor-

porum, de quo illo toto articulo est Sermo. At vero quos effectus DEUS concurrente simul potentia obedientiali producit, non producit se solo. Sed neque adverbarii concederint, actum vitalem, saltem quā talem, uti est actus visionis, à solo DEO produci.

Colliges secundò: Lumen gloriae rectè collo-15 cari in prædicamento habitus, quamvis enim in hoc obtineat modum potentie, quod det simpliciter posse; in eo tamen, quod non se haberet in differenter ad bene vel male, sed ab intrinsecè ad optimam operationem subiectum determinat, & disponit, intra habitus definitionem continetur.

Colliges tertio: Lumen gloriae præstantiorem¹⁶, esse habitum, quam sunt habitus omnium donorum supernaturalium, præterquam gratia sanctificantis. Ratio primi est, quod si principium actus perfectissimi, nempe visionis, & participatio nobilioris perfectionis, nempe intelligentias Divinæ. Ratio secundi est, quod radicale principium visionis, ut est gratia, præcessu proximo, ut est lumen, & ratio natura sit perfectior, quam principium formale operandi: sed gratia est participatio Divinitatis intelligere sub ratione naturæ & prima radicis; lumen gloriae vero sub ratione principii proximi: ergo.

Colliges quartò: Lumen gloriae non esse formaliter unionem essentiae Divinæ cum intellectu Beati. Ratio est primò: quia cum actus & potentia ad se mutuò cum debitis requisitis sit proportionata, se ipsis uniuntur absque vinculo intermedio (ut suppono ex Philosophia) sed intellectus dilatitus lumine gloriae est proportionatus ad actum Divinae essentiae, tanquam forma ex se infinitè intelligibilis: ergo immediate se ipsis uniuntur. Secundò: unio debet se tenere ex parte utriusque extremi uniti: sed lumen gloriae non tenet se ex parte essentiae Divinæ, neque ipsum ullâ ratione afficeret & determinare potest ergo.

Colliges quintò: Lumen gloriae non tantum¹⁷ esse necessarium intellectui ad elicendam, sed etiam recipiendam DEI visionem, cùm iste non modò in ratione principii, sed etiam subiecti sit improportionatus visioni. Neque iterum obtrudat partitem a lumine gloriae, quod nullam sibi præviā dispositionem requiri: ut enim sup. insinuavi, dispositionis non est dispositio: unde quia lumen gloriae est ipsa dispositio & elevatio in vitam supernaturalem, nullam præviā sui dispositionem requirit. Ipsa vero visio non est dispositio, sed perfectio vitalis potentie in proportionato vita gradu constituta.

ARTICULUS III.

Quomodo lumen gloriae cum intellectu concurrat ad visionem?

S U M M A R I A.

- 1. Quorundam antiquorum sententia refelluntur.
- 2. Diveritas sententiarum.
- 3. Astruitur intellectui actius influxus in visionem.
- 4. Astruitur influxus principalis.
- 5. Differentia inter influxum instrumentalem & principalem.
- 6. Impugnatur causalitas partialis.
- 7. Quo-

7. Quonodo SS. PP. intelligent vocem instru-
menti.
8. Quonodo causa principalis per propriam virtu-
tem operatur.
9. Quonodo intellectus agat ut elevatus.
10. Qualis sit virtus radicalis ad elicendam vi-
tatem?
11. Sufficit ad actum vitalem, ut sit à principio in-
trinseco remore.

§. I.

*Rejectis aliis Thomistica sententia
statuitur.*

1. Antiquorum quorundam opinio fuit, intel-
lectum beati in visione, sicut & lumen gloriae
otio sum desidere, & absque actu influxu passivè
Divinam essentiam & intellectionem in se recipie-
re, eaque increatè visione D[omi]n[u]m videntem deno-
minata. Contra quos ex illo Joa. 17. *Hec est
vita eterna, ut cognoscant te &c.* communiter
Theologitum hic, tum in 1. 2. deducunt, vi-
tium beatorum, non esse actum visionis increatæ
& Divina, cum alioquin neque cognitio, neque
vita beatorum rectè diceretur. Nominales ten-
tabant, visionem quidem esse actum creatum
ipsius videntis, qui tamen à solo D[omi]no ex intel-
lectu videntis educeretur, intellectu & lumine
gloriae nihil activitatis ad ipsum conferente. Nec
minus illa sententia communiter rejicitur, quippe
que non vitali sed mortuo quodam modo vi-
sionem in intellectu ponet, hoc ipso S. Script.
textui contraria.

2. Ceterum igitur inter Theologos est, visionem
esse actum vitalem ab intellectu beati effectivè
procedentem. Quod ipsum tamen diversimodo
explicatur. Quidam dicunt, adæquatum prin-
cipium visionis esse solum lumen gloriae, intellectu
se habene per modum subjecti differentia.

Secunda, quam habet Salas 1. 2. tract. 2. disp.
5. & Franc. de Lugo disp. 12. c. 4. dicit, in-
tellectum per hunc naturalem virtutem, ut asso-
ciatum lumen gloriae, immediatè & partialiter in-
fluere in visionem.

Articulus Suarez to. 3. punto 1. disp. 22. Se. 1.
negat hac efficaciam naturali, docet intellectum
per potentiam obedientiam proximè activam
instrumentaliter concurretere ad elicendam clara-
tam visionem.

Quarto Thomista, quamvis in modo loquendi
subinde diversi, in commune affirmant, è lumine
gloriae, tanquam virtute proxima adæquata, &
ex intellectu tanquam virtute remota radicali
(quam Godoyus etiam appellat proximam in ra-
tionem potentie) constitui unum adæquatum prin-
cipium non instrumentaliter, sed principaliter,
non per diuos partiales, sed unum indivisibilem
influxum producens actum visionis.

5. CONCLUSIO. I. *Intellectus in visione activè
inficit.* Probatum primò ex Tridentino, ubi
Sess. 6. can. 4. dicit, quod liberum arbitrium
non merè passivè, sed activè se habeat in ordine
ad actus supernaturales; ergo idem dicendum de
intellectu; cum par sit ratio.

Probatur secundò ex S. Th. a. 5. ad 1. dicente,
quod intellectus fiat potens ad intelligendum,
per modum, quo potentia fit potens ad operan-
dum per habitum; sed utique potentia cum habi-
tu concurrit activè ad operandum: ergo & intel-
lectus cum lumine gloriae.

Probatur tertio ratione. Actus intrinsecè vi-
talis debet procedere à principio propriè vitali, ut
quod: sed nisi intellectus activè influeret, visio
non procederet à principio vitali ut quod: quia
lumen gloriae se solo est qualitas ab extrinseco
infusa, neque fluid ex natura videntis tanquam
principio vita radicali, adeoque ut sic non est vi-
tale ut quod: sed nec anima possit per solum lu-
men gloriae vitaliter ut quod operari: siquidem
ipsa non immediatè recipi lumen gloriae, nec nisi
mediantibus suis potentissimis operatur: ergo neccesse
est, ut etiam ipse intellectus activè influat.

CONCLUSIO II. *Intellectus non ut causa in-
strumentalis, sed ut principalis inficit in visionem
beatificam, quatenus intra proprium objectum con-
fatur & elevatur per lumen gloriae.* Ita com-
munis Thomistarum contra Suarez.

Probatur. De ratione causa vitalis est, ut
perficiatur à proprio actu vitali intra gradum vita-
proprium & adæquatum objectum, sed intellectus
est causa vitalis visionis: ergo est de ratione ipsius,
ut perficiatur à visione intra proprium vita gra-
dum, atque objectum adæquatum: atqui istud
causa tantum principali, non instrumentaliter con-
venire potest: ergo intellectus principaliter non
instrumentaliter inficit in visionem, major videtur
certa: nam ideo actus vitalis est à principio vita
conjuncto, quia perficit intrinsecè ipsum princi-
pium, à quo procedit: sed non perficeret, nisi
illud circa objectum adæquatum, à quo specifica-
tur, & quod est finis ipsius intrinsecus, perficeret,
ideo si v. g. oculus corporeus instrumentaliter
assumeretur ad producendam aliquam cogni-
tionem, non ideo illam modo vitali, sed modo
non vitali produceret; quia illa cognitio non per-
ficeret oculum intra proprium objectum & gra-
dum vita.

Subsumptum quoque probatur. De essentia 5.
instrumenti est, agere, ut motum ab extrinseco
moveat, & applicari ab eodem ad finem & ob-
jectum non ipsi instrumento, sed causa principali
primum, adeoque excedentem adæquatum
spharæ sua activitatis, qua de causa id, à quo
primo incipit motus & actio, non est instrumen-
tum, sed causa principialis. Unde S. D. 3. p.
q. 62. 2. q. in c. *instrumentum non operatur, nisi
in quantum est motum à principali agente, quod per
se operatur.* Et 3. contra gentes c. 12. quod ab
altero tantum agitur, rationem instrumenti haberet,
quod vero per se agit, habet rationem cause principi-
alis agentis: atqui, ut dictum, causa vitalis non
extra limites sua spharæ & objecti extrinseco
agenti deservit; sed intra proprium objectum vi-
taliter à suo actu perficitur. & sic etiam intel-
lectus DEUM videntis in suo esse vitaque intelligi-
bili vel maxime per divinam essentiam visionem per-
ficitur: neque per lumen gloriae subordinatur
alicui extrinseco agenti, non enim per beatificam
visionem se DEUS, sed ipsius Beati DEUM
vident;

vident; intellectus quoque per visionem extra latitudinem entis intelligibilis ne utique evagatur, sed perficitur & confortatur intra latitudinem entis & veri intelligibilis. adeoque de ratione causa vitalis, & consequenter intellectus videntis DEUM est, esse causam principalem sui actus.

Confirmatur primum. Instrumentum non ab intrinseco movetur ad actionem instrumentariam: intellectus ab intrinseco movetur ad visionem: ergo non est instrumentum ipsius. Secundum. Per lumen gloriae intellectus collocatur permanenter in gradu intellectualitate divina, ut visio quasi conaturaliter ab ipso procedat: econtra virtus instrumentaria solet esse transiens: ergo intellectus per lumen gloriae instrumentaliter non operatur.

6. CONCLUSIO III. *Intellectus & lumen gloriae non concurrunt ad visionem per modum duarum causarum partialium, ita ut visione quoad vitalitatem intellectus, quoad Supernaturalitatem respondet lumen gloriae: sed influunt per modum unius indivisibilis principii adequati: ita ut intellectus se habeat tanquam virtus radicalis & remota; lumen autem gloriae tanquam virtus proxima videndi D E V M.*

Ratio est primum. Quando nihil est in effectu divisibili & assignabili, quod potius ab hoc, quam alio principio procedat, tunc effectus indivisibiliter procedit ab utroque simul lumpo, tanquam ab uno totali principio; sed in visione nihil est divisibile & assignabile, quod soli intellectui, vel lumini gloriae debeatur: ergo clara DEI visio ab intellectu elevata per lumen gloriae tanquam ab uno indivisibili ad aquato principio procedit. Minor probatur: perfectiones visionis sunt vitalis intelligentias & supernaturalitas; sed ista non sunt separabiles, aut diversis principiis seorsim assignabiles. ergo minor rursus probatur: nam tunc sunt separabiles, quando vitalitas visionis est indivisibiliter supernaturalis, & supernaturalitas est vitalis: sed ita se res habet in visione, ergo.

Ratio est secundum. Si intellectus partialiter influeret in visionem, quatenus est intellectio vitalis, non instrumentaliter, sed principaliter per potentiam naturalem, non obedientialem influeret, consequens est contra adversarios. ergo. Secunda probatur: quia vitalitas intelligibilis non est extra limites activitatis intellectualis, sed continetur intra nativas vires ipsius. Superest ergo, ut sicut visio est indivisibiliter actus vitae supernaturalis; ita etiam indivisibiliter procedat a principio vitali supernaturali, quod est intellectus elevatus per lumen gloriae.

§. II.

Solvuntur objectiones.

7. Objecies primò, authorit. SS. PP. qui liberum arbitrium solent appellare instrumentum divina gratia. Et S. Doct. qui 2. 2. q. 173. a. 4. dicit, mentem Prophetæ à Spiritu S. moveri sicut instrumentum: ergo à pari idem dicendum de intellectu videntis DEUM.

Responder S. Doct. q. 24. de ver. a. 1. ad §. sui Sanctorumque PP. luculentus interpres, vo-

cem instrumenti latiori & minus propria significacione ibi accipi, ait enim: magis communiter instrumentum dicitur, quidquid est movens ab alio motu, sive sit in ipso principium sui motus sive non: quā ratione omnes creature dici possunt instrumenta DEI, quia motens ut motu a primo movente. Ad rationem vero instrumenti propriæ dicti requiritur, ut motus alterius causa sit ipsa ratio agendi, quod non reperitur in presenti.

Objecies secundum. Causa principalis per propriam virtutem operatur, non alienam: sed intellectus concurrevit ad visionem non per propriam virtutem, sed alienam.

Resp. causa principalis operatur per propriam virtutem, hoc est, quae sit perfectiva ipsius in proprio objectu, concedo; quia tantum sit ex propriis principiis, nego. Sed intellectus tamen visionem per virtutem alienam, hoc est, extrinsecus insulam concedo; non perfectivam sive initiatrationem proprii objecti, nego minorem & consequentiam.

Objecies tertius. Causa qua agit, ut elevata ad producendum effectum proprias vites excedentem, est instrumentum: sed ita se habet intellectus in visione, ergo.

Resp. primum. Instrumentum est, quod agit ut elevatum ultra limites proprii objecti, concedo; intra illas, nego. Secundum. Agit ut elevatum; ita ut elevatio sit ipsi tota ratio agendi tam remota quam proxima, concilium proxima, nego. Sed ratio agendi tantum proxima est lumen gloriae, concilium proxima quam remota, nego minorem & consequentiam. Et ita visio beatifica excedit virtutem intellectus proximam, nego remotam & radicalem, concedo.

S. dicas: Hac ipsa virtus radicalis nil aliud est, quam potentia obedientialis, qua renuntiabit a ratione instrumenti. Resp. esse potentiam obedientialem vitalem & mediate activam, non potentiam obedientialem nec mediate nec immediata activam, & passivam tantum, ita constituit actionem instrumentalem; illa principalem.

Ratio diversitatis est: quod potentia vitalis obedientialis elevatur per virtutem completam, in ordine ad actus proprios intra proprium ad aquatum objectum elicendos, qua de causa immediate formam perfectivam, & hac mediante obedientialiter respicit actus supernaturales. Econtra potentiam obedientialem merè passiva tantum elevatur, per virtutem incompletam, ut sua operatione causa principali deferviat ultra proprium finem & objectum.

Objecies quartus. Actus vitalis quā talis debet provenire à principio intrinseco, non extrinseco: sed lumen gloriae est principium extrinsecum; ergo actus vitalis visionis ratione sua vitalitas non à lumine gloriae, sed ab intellectu provenit.

Resp. Actus vitalis quā talis debet provenire à principio intrinseco, vel proximè, vel remoto, concilium semper proximè nego, ergo ratione sua vitalitas non potest esse à lumine gloriae, remota tanquam à virtute radicali & elevabili, concilium proximè, & tanquam à virtute elevante, sic nego.

Sed

Sed inquis. Visio secundum substantiam actus differt ab omni alio actu, sed hanc differentiam habet sola potentia intellectiva: ergo hæc sola immediatè influit in substantiam visionis.

Resp. negando minorem: est enim actus visio-
nis substantialiter supernaturalis, unde quod ab
omni alio differat, non accipit à sola potentia intel-
lectiva, sed ab ipsa ut elevata per lumen gloriae.

DISPUTATIO IX.

DE

Ipsò actu visionis.

A Principiis tam ex parte potentie, quam ex parte obiecti modò consideratis,
A progedimur ad ipsum actum visionis, cuius proprietates & accidentia, nempe
perfectionem & intentionem, menutam, ac durationem in præsenti disquirimus.

ARTICULUS I.

Vnde proveniat inæqualitas visionis?

SUMMARIUM.

1. Datur inæqualitas visionis.
2. Quæ non è essentialis, sed accidentalis.
3. Intellectus Angelicus & humanus in ordine ad visionem non sunt principia specie distincta.
4. Duplex sententia, Scoti, & D. Thoma.
5. Difenditur, inæqualitatem visionis adquater refundit in inæqualitate em lumenis.
6. Absurda apposite sententie.
7. Expositio anchor. S. Doctoris.
8. Causa tantum materialiter nobilior non producit nobiliorum effectum.
9. Si due cause, aquæ proxime concurrent, tunc alterius excessus parit excessum in effectu.
10. Intellectus major perfectio naturalis non gignit perfectiorem assensum fidei.

§. I.

Præsupposita.

i. Suppono primò tanquam de fide certum, quod visio beatifica non sit æqualis in omnibus Beatis, prout definitum est à Conc. Florent. in Decreto unionis dicente: *juxtra meritorum diversitatem unius alio perfectius videt diversam essentiam.*

Deducitur ex illo 1. Cor. 15. *Stella differt à stella in claritate. & Jo. 14. in domo Patris mei mansiones multe sunt, ut numerum, velut exponit D. Aug. tr. 67. in Jo. mansione pro suo quisque merito acipiat.* Sicut ergo diversa sunt Beatorum merita, ita & gloria, seu visio beatifica.

ii. Suppono secundò. Hanc inæqualitatem non esse specificam & essentialiem, sed accidentalē juxta maiorem intentionem & extensionem. Nam idem formaliter principium & objectum reputatur, in cuiuslibet Beati visione: principium quippe partim dispositivum, partim effectivum ex parte subjecti est lumen glorie, quod est ejusdem rationis in omnibus Beatis; principium ex parte objecti, ipsumque objectum formale specificum est essentia divina quæ talis.

R. P. Mezg, Theol. Schol. Tom. I.

Dices: Actus, qui procedunt à principiis species distinctis, sunt species distincti, sed visio Angeli procedit ab alio specie principio, quam visio animæ beatae: siquidem intellectus Angelicus & humanus species distinguuntur ergo visio Angelicæ species distinguitur à visione animæ vel hominis.

Repl. primo. Actus qui procedunt à principiis proximis species distinctis sunt species distincti, conc. à remotis, nego, sed visio Angelicæ procedit ab alio specie principio remoto, quâna visio animæ beatae: conc. proximò, nego minorem & conseq.

Repl. secundò. negando minorem, & probatiolem distinguo: intellectus Angelicus secundum potentiam naturalem species distinguitur ab intellectu huo anno, conc. secundum potentiam obedientialem, nego, nam in ratione virtutis remota & elevabilis ambo intellectus omnino conveniunt.

Addic quod intellectus humanus non elevetur ad videndum DEUM secundum gradum suum specificum, sed genericum intellectus ut sic, secundum quem non differt, sed convenit cum Angelo.

Restat igitur ut accidentaliter distinguantur, in quantum nempe una visio vel intensive propter maiorem claritatem, vel extensivè propter plurimum objectorum in divina essentia perceptio- nem est perfectior altera.

Controversia tamen est, an ista inæqualitas visionis solùm oriatur ex diversitate lumenis gloriae, ita ut quod istud est perfectius, tanto perfectior sit visio; vel an etiam oriatur ex majori perfectione intellectus, ita ut perspicacius acumen ingenii, majorque subtilitas intellectus conducat ad perfectionem visionem? Hanc posteriorem opinionem Scotus; illam priorem cum sua Schola amplectitur D. Thomas hic a. 6. ad 3. dicens. *Diversitas videndi DEUM erit per di-*

ver-

M